erat quando filii in sapientie studio fervebant.
Noe cum quingentorum esset annorum genuit Sem Cham et Jafeth
centum annis ante diluvium in quibus centum annis archam fabri-
cavit. Sexcentesimo autem eius anno diluvium inundavit. In
ergo generationibus decem ab initio mundi usque ad diluvium numerantur
septuaginta interpretes computant annos 2256
hebraica vero veritate 1656 ut sanctus Augustinus testatur.
Josephus autem dicit duo milia dclvi. Qui etiam dicit nullo
itaque perscrutetur priscorum fines quantum cum suis filiis eorumque
aut attavis sua quis contenderit etate quam tantum eorum
et generationes attendat. Sed nec hos solos qui in hoc ordine
scribuntur genuerunt cum scriptum sit de singulis genuit filios
et filias verum hos tantum assumit a veridico historiographo
Moyse. Ex quibus Noe cum filiis suis ducebat originem per quos
et mundus post ceterorum hominum perditorum in diluvio erat restau-
randus. Transacto autem diluvio archa Noe sedisse refertur
in montibus Armenie qui dicuntur Ararath. Fuerunt autem filii
Noe tres ex quibus lxxii gentes orte sunt id est de Jafet xv de
Cham xxx de Sem xxvii. Vixit autem Noe post diluvium
ccc l annis et mortuus est annorum dcccc l.
cuius regimine ut ab ipso diluvio usque ad divisionem lingua-
rum que ob delicta edificantium turrim in campo Sennahar facta
est et usque Heber in quo hebreorum lingua prisca remansit
quia nec in illa conspiratione edificandi interfuit. Sunt anni secundum
hebreos ccxcii et una. Juxta alios vero d xxxxi qui plures
annos cuique generationi adtribuerunt etiam Cainan quendam inter
Arphaxat et Sale ponunt cui cxxx annos tribuunt dicentes
Arphaxat genuisse Cainan. Cainan vero Sale. In hac opinione
Lucas quoque evangelista secutus septuaginta interpretes
eundem Cainan in ordine genealogie patrum in evangelio suo
ponit dicens qui fuit Sale qui fuit Cainan qui fuit Arphax-
at qui fuit Sem. Sanctus Augustinus etiam et Jordanis episcopus eundem
sibi modo ponunt. Cum in bibliotheca sancti Hieronimi secundum hebraicam
veritatem non habeatur nisi quod Arphaxat Sale genuisse dicatur ac
ipso Hieronimo nesciente qua ratione Cainan preterierit aut scrip-
torum vicio nimium permanente. Ratio vero annorum satis in hoc gravatur